

Theophilus. Sicut Philo maximus legatorum a Iudeis Gaio ^{a)} directorum dicit ¹⁾: *Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.* Metropolitę ergo suo, si suffraganeus ^{b)} est, id intimare debet: qui concilium cogat et quid facto opus sit ^{c)} edoceat. Quod si ^{d)} ibi causa terminata non fuerit, primatem ²⁾ suum metropolitanus adhibeat secundum canonicam auctoritatem. At vero si coram eo causa supradicta competenti termino definiri nequiverit, episcopus cuius causa est, primatis et metropolitani sui auctoritate roboratus, sedis apostolicę presulem petat et causa sua pleniter exposita, summam huius consilii requirat. Summa autem consilii hęc est, ut hi, qui res ecclesiasticas occupaverunt, tercio ^{e)} vocentur, non adquiescentes ^{f)} anathematis et excommunicationis vinculo a vicario sancti Petri adligentur ^{g)}, cui dixit Christus ³⁾: *Quęcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cęlis et* ^{h)} *quęcumque solveris super terram, erunt soluta et in cęlis.*

Eutitius. Quia ista frequentius fiunt, in cordibus reproborum viluerunt ⁱ⁾. Relicto igitur timore Dei ad iudicia secularia convolabunt, patronis ^{k)} se munient, castellis vallabunt et deteriores ex correctione fient, homicidiis, incendiis et rapinis cuncta vastantes.

Theophilus. Non hęc diutius permanerent, si inter episcopos vera pax et firma concordia permaneret; sed, sicut Salomon ⁴⁾ dicit: *Unus ędificans et alter destruens, quid proficit illis, nisi labor? Unus benedicens et alter maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?* Cum istius dispendium alterius videatur lucrum, istius ^{l)} deiectio alterius sit gloria ^{m)}, inter hęc verę karitatis ⁿ⁾ divortia refugium prestatur ^{o)} ecclesię desertoribus ¹, et quem unus deicit ^{p)}, alter suscipit, non considerans neque pertimescens sententiam apostoli quę dicit ⁵⁾: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Initium ergo superbię ab ipsis oritur, a quibus destrui debuerat ^{q)}.

^{a)} Gaio cesari B. ^{b)} sufraganeus B. ^{c)} fit B. ^{d)} sit B. ^{e)} tertio C.
^{f)} acquiescentes C. ^{g)} alligentur B. ^{h)} von hier ab schwer lesbar A.
ⁱ⁾ nicht voll lesbar A; fehlt C. ^{k)} so B; pat...is (vor i ein Schafft erkennbar) A; patitiis C. ^{l)} schwer lesbar A; et unius C. ^{m)} nicht deutlich A; elatio, am Rand: releuatio C. ⁿ⁾ caritatis B; charitatis C. ^{o)} restat C.
^{p)} deicit C. ^{q)} so C; debu...erkennbar A; debuerit B; vgl. S. 82 Z. 12 v. u.: suorum qui esse debuerant.

¹⁾ Eusebii Hist. eccl. interpr. Rufino II, 5, ed. Th. Mommsen 1 (1903) 119 (D).

²⁾ Vgl. oben S. 61 Anm. 153.

³⁾ Matth. 16, 19 (D).

⁴⁾ Eccli. 34, 28. 29 (D).

⁵⁾ Rom. 1, 32 (D).